

TRACTATUS IV.

DE IV PRAECEPTO

S. Alf. lib. 3. H. A. tr. 7.

«Honora patrem tuum et matrem tuam».
Exod. xx. 12.

534. — Absolutis praeceptis primae tabulae, quae Deum respiciunt eiusque cultum, progredimur ad praecepta secundae tabulae, quae ad proximum diriguntur. Quum autem post Deum inter proximos principem locum habeant genitores, ideo de honore debito parentibus primo loco praeceptum datur. — Quamvis nomine parentum ii praecipue intelligi debeant qui carnaliter nos genuerunt, extenditur tamen ad alios quoque Superiores tum spirituales tum civiles, utpote qui paternae dignitatis et auctoritatis quodammodo sint participes. Quum insuper *mutua* sint subditorum et Superiorum officia, utraque hoc praecepto comprehenduntur. — Pertinet hoc praeceptum ad virtutem *pietatis* et *obedientiae*. (cfr. supra n. 294.)

Expendemus *mutua* officia: 1^o filiorum et parentum, 2^o coniugum inter se, 3^o dominorum et famulorum, 4^o magistrorum et discipulorum, 5^o Superiorum civilium et subditorum. De Superioribus spiritualibus eorumque subditis agetur in libro V.

CAPUT I.

OBLIGATIONES FILIORUM ET PARENTUM

Articulus I.

Obligationes filiorum erga parentes.

535. — Honor, quem filii ex virtute pietatis parentibus suis debent, tria expostulat: *amorem*, *reverentiam* et *obedientiam*. Quemadmodum enim hisce tribus cultum exhibemus Deo tamquam *primo* nostro principio, ita per eadem debemus parentes nostros honorare, tamquam *secundaria* vitae et conservationis nostrae principia. Constat insuper ex S. Scriptura, quae tria illa officia assidue inculcat; e. g. Eccli. II. 1-18. (S. Thom. 2. 2. qu. 101. a. 1; Catech. Rom. part. 3. cap. 5.) — Praedicta officia debentur parentibus, etiamsi

mali forent, suosque filios male tractarent; semper enim vices Dei gerunt, illisque vitam acceptam referre debemus, quae sane omnium beneficiorum maximum est.

536. — I. **Amor.** Filii tenentur parentes suos diligere amore tum *interno*, quo eis bene velint, tum *externo*, quo eis aliquando benevolentiae signa ostendant, mala ab eis avertant, eisque in necessitate sive spirituali sive temporali constitutis pro viribus subveniant.

Hinc graviter peccant: 1° Contra amorem *internum*; si parentes odio vel gravi aversione prosequuntur; eis grave malum serio exoptant, v. g. mortem, ut cito in illorum bona succedant.

2° Contra amorem *externum*; si signa odii eis ostendunt, eos dure tractant, torvo vultu frequenter aspiciunt et aspere alloquuntur, graviter de illis detrahunt, aut eos graviter contristant. Similiter, si parentibus in necessitate *temporali* non assistunt, nimirum si eos morbo, senio, moerore confectos non visitant, eosque sine solatio relinquunt; si eis ad inopiam redactis alimenta, id est cibum, vestitum et habitationem, non suppeditant. Cfr. supra n. 357, de ordine caritatis.

Denique graviter peccant, si parentibus in necessitate *spirituali* non subveniunt, puta si non curant Sacramenta ministrari parentibus in mortis articulo, si malis artibus eos impediunt quominus testamentum condant et pro bono animae pia legata faciant, si post mortem eorum Exsequiae aliaque Officia ut celebrentur non curant iuxta voluntatem vel conditionem illorum, si legata aut alia pia opera ab ipsis relicta vel non adimplent vel sine iusta causa diu differunt. (n. 333.)

537. — II. **Reverentia.** Ratione reverentiae parentibus debitae tenentur filii tum interius agnoscere illos ut Superiores, et inde timorem reverentialem concipere, tum exterius verbis, signis et factis eam reverentiam demonstrare. Propterea debent illos reverenter alloqui, honorifice de illis loqui, eis deservire, etc.

Graviter proinde peccant filii: 1° *Verbis*, si maledicta et convicia in parentes coram effutiunt, quibus sciunt eos graviter offensum iri; item si ad gravem iram eos provocant.

2° *Signis*, si risu vel gestu eos illudunt. Item, si dignitate vel divitiis potiti pauperes parentes suos dedignantur aut agnoscere nolunt. Quodsi non ex contemptu, sed alia ex causa, exterius illos dissimulant, puta ad grave damnum vitandum, vel quia parentes infami delicto notati sunt, a gravi saltem peccato excusantur; quia tunc ipsi parentes non censentur graviter aut rationabiliter inviti.

3° *Factis*, si parentes percutiunt, etiamsi percussio levis sit; imo si cum sufficienti deliberatione manum dumtaxat attollunt vel baculum arripiunt ad percutiendum. (n. 334.)

Probe demum advertendum est: a) filios saepe a mortali culpa excusari propter indeliberationem actus vel materiae levitatem; — b) gravitatem irreve-

rentiae sumendam non esse *absolute*, sed *relative* tum ad conditionem familiae tum ad mores loci; unde, quae in parentem plebeium et minus honorabilem levior est irreverentia, gravissima esse potest si in nobilem aut honoratum committatur. (n. 334.)

538. — **QUAER.** *An graviter peccet filius verberando parentem amentem, prae senio delirantem, aut ebrium.*

Resp. Dist. Affirm., si ex animo malevolo procedat.

Negat., si ex bono fine procedat, cum moderata castigatio necessaria est ad parentem cohibendum. (Gury. n. 366.)

539. — **III. Obedientia.** Filii tenentur parentibus suis obedire in omnibus licitis quae ad eorum curam pertinent, quamdiu sub eorum potestate existunt.

Dictum est: 1° *in licitis*: in illicitis enim obedire non possunt, nam « obedire oportet Deo magis quam hominibus » (Act. v. 29): 2° *quae ad eorum curam pertinent*, nimirum ad gubernationem domus et ad educationem filiorum: educatio autem complectitur bonos mores, salutem animae, litterarum vel artis studium; 3° *quamdiu sub eorum potestate existunt*: iure naturae patria potestas cessat, cum cessat officium educationis proles: hoc autem officium desinit per filiorum maiorenitatem¹⁾ aut matrimonium, quibus sui iuris fiunt.

Quod vero ad *disciplinam domesticam* attinet, filii subsunt parentibus, quamdiu degunt in domo paterna: quia patri, qua Superiori domus, competit potestas *oeconomica*, ex qua officium ei incumbit curandi, ut quoad externam disciplinam omnia in familia recte ordinata sint: proinde ne in domo vigeant mali mores, neve occasiones peccatorum; id enim munus est recte providentis. (S. Thom. *Quodlib.* 2. art. 9.) — Insuper, dum victum a parentibus accipiunt, tenentur pro viribus parentibus in negotiis domesticis operam navare.

Ut porro filii in praedictis peccatum *grave* committant, requiritur ut *deliberato animo* transgrediantur praeceptum *expressum* et *serio* datum, atque in *materia gravi*. In praxi non raro a gravi culpa excusantur, sive ob defectum gravis materiae, sive ob animi levitatem et inadvertentiam, sive saepius ob defectum stricti praecepti. (n. 335.)

540. — **Hinc filii PECCANT GRAVITER non obediendo:** 1° *Circa mores*, e. g. si contra parentum vetitum prava consortia, popinas, theatra et alia loca periculosa frequentant, ludos prohibitos inquirunt, illicitas procationes habent; si filiae nocturno tempore domo exeunt, cum procis aliisque iuvenibus sine arbitris confabulantur.

2° *Circa salutem animae*, v. g. si contra parentum praeceptum preces, doctri-

¹⁾ In materia civili maiorenitas computanda est secundum ius civile in quaque regione vigens; in materia vero morum et religionis computanda est secundum ius canonicum, quo persona, quae vicesimum primum aetatis explevit, maior est. (can. 88. § 1.)

nam christianam, conciones, Missas, in notabili materia praetermittunt; si per notabile tempus a Sacramentorum susceptione abstinent, et similia.

3° Circa *litterarum et artis studium*, si litterarum studio vacare aut artem conditioni suae convenientem addiscere negligunt, cum iactura temporis et expensarum.

4° Circa *gubernationem domesticam*, si impositam operam praestare pertinaciter renuunt; si contra parentum praeceptum debito tempore domum non redeunt, vespere praesertim, idque non semel. Similiter si sine gravi causa a paterna domo aufugiunt; secus vero, si fuga fit ob causam gravem, v. g. quia in paterna domo ipsis est proxima peccandi occasio, vel quia nimis dure tractantur, nec spes est fore ut brevi rerum mutatio succedat. Denique, si invitis parentibus ducunt uxorem indignam vel nubunt viro indigno cum dedecore familiae. (H. A. n. 3.)

Notandum restat per se necesse non esse in Confessione exprimere, in qua re quis fuerit inobediens; sed sufficit declarare quoties inobediens fuerit in re gravi; inobedientia namque specie non mutatur iuxta materiam praeceptam.

541. — **Quaestiones.** QUAER. 1° *An filii minorenes teneantur OBEDIRE parentibus in ELECTIONE STATUS.*

Resp. Per se negative, sed omnino liberi sunt in eligendo statum, sive clericalem, sive religiosum, sive caelibem, sive coniugalem. Rationes sunt: 1° in iis, quae spectant naturam, i. e. suiipsius conservationem et generis humani propagationem, omnes homines sunt aequales, ita ut nullus alteri obedire teneatur, quod idem magis valet in ordine *supernaturali* quoad statum servitii Dei; 2° in statutis assignatis est servitus quaedam perpetua, in qua re nemo cogi potest. Ita S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 8. ad 2; qu. 104. a. 5 et *Suppl. qu. 47. a. 6.* Cfr. et can. 89 coll. can. 1035. 1067.

Per accidens vero aliquando obedire tenentur, non ex praecepto, sed ex pietate, si ita exigeret gravis necessitas parentum aut familiae. (n. 335.)

QUAER. 2° *An iidem teneantur saltem PETERE CONSILIUM ET ASSENSUM parentum.*

Resp. 1° Quantum ad statum *religiosum* eligendum non tenentur, neque expedit consilium genitorum exquirere: quia hac in re nullam habent experientiam, et saepe ob proprium commodum mutantur in hostes. Attamen, si certo praevideatur parentes non obstaturos esse, aequum est ut filii non sine parentum benedictione discedant; secus, si probabile periculum sit, ne vocationis executionem iniuste impedituri sint. ¹⁾ (n. 335. *Lib. 4. n. 68.*)

2° Quantum ad *matrimonium cum hac illave persona* debent consilium et assensum petere; nisi ex iusta causa non consulant aut parentes irrationabiliter inviti sint. Ratio est, quia, cum parentes teneantur filiis in omnibus prospicere, praesertim in statu eligendo et in iis quae oneribus matrimonii sustentandis necessaria sunt, iustum est ut hac de re consulantur et eorum iusto dissensui mos geratur. (*Lib. 6. n. 849. 877. Confess. direct. cap. 17. n. 3.*) Accedit officium reverentiae atque, ut ait Enc. *Casti Connubii*, parentum maturiorum humanarum

¹⁾ In pluribus regionibus, secundum leges civiles, possunt parentes, auxilio brachii saecularis, liberos suos minorenes e quocumque loco retrahere et cogere ad reditum. Caute ergo cum istis haec in re agendum est.

rerum cognitio et usus, ut eorum consilio perniciosus hac in re error praecaveatur. Non tamen tenentur *obedire* parentibus determinatum matrimonium impotentibus vel excludentibus, nisi aliunde adsit obligatio. Dicta cum proportione valent etiam pro maioribus, prout ex natura rei sequitur. Magis tamen urgent minores. Hinc, ut ait can. 1034: «Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur, ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invititis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.»¹⁾

QUAER. 3^o *An dicta obligatio consulendi et rogandi parentes in electione sponsi vel sponsae sit gravis.*

Resp. Communius affirmant; quia gravis contemptus est ac signum diffidentiae, tantam rem sine eorum consilio et consensu aggredi, ac nulum aut generum ipsis insciis aut iuste invititis adducere; quare parentes ferre solent hoc aegerrime.

Alii obligationem per se solum venialem adstruunt quae tamen ex adiunctis gravis fieri potest.²⁾ Minime vero peccabit filius, si est in dissito loco, et putat parentes in matrimonium libenter consensuros vel contra, si consulantur, iniuste illud impedituros esse. (*Lib. 6. n. 849.*)

QUAER. 4^o *An filius minorennis teneatur parentibus obedire in electione alicuius professionis.*

Resp. Negandum videtur, si electio filii conformis sit conditioni suae, nec animae periculum adducat, ita ut parentes nequeant rationabiliter inviti esse; professio enim ad totam vitam spectat, quocirca filius videtur ius habere ne cogatur perpetuam vitae rationem amplecti inclinationi suae contrariam.

QUAER. 5^o *An contra obedientiam peccet filius minorennis, qui iuxta leges civiles, sed invititis parentibus, vult proprio nomine laborare, alimenta sua emere.*

Resp. Affirmandum censeo; quia haec materia penitus ad curam parentum pertinet, ad educationem nempe et domesticam gubernationem, a qua se emancipare non valet. — Idem dicendum de filio vel filia, quae contra voluntatem parentum vult famulatum exercere, maxime in familia vel in loco, ubi in animae periculum incurret.

Articulus II.

Obligationes parentum erga liberos.

542. — Parentes debent filiis, ex officio *pietatis*, amorem et educationem tum corporalem tum spiritualem. Id ipsa natura clamat; cuncta namque animantia foetus suos diligunt et nutriunt; et quoniam homo est creatura rationalis, ad finem supernaturalem destinata, ipsi quoque debetur educatio spiritualis. Neque refert utrum filii legitimi an illegitimi aut spurii sint.

Obligatio parentum *educandi* filios hoc modo in Codice exprimitur, in cap. *de matrimonio effectibus*, can. 1113: «Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educa-

¹⁾ Cfr. Enc. *Casti Connubii* 31 Dec. 1930, *A. A. S.* 1930. p. 586: quae indistincte loquitur; cfr. et *Wouters* I. n. 711, *Wernz-Vidal*. De Matr. n. 140. De cetero cfr. adhuc *infra tom. II, n. 643. qu. 3; Cal, Rom. p. 2. c. 8. n. 32.*

²⁾ Ita v. g. *Wouters* I. c., imo ipse S. Alf. in *Confess. diretto* I. c.

tionem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.» Et in can. 1013. § 1 procreatio atque *educatio* prolis vocatur matrimonii primarius finis. ¹⁾

Officium porro educationis durat usquedum filii sibi ipsis sufficere valent; quamquam si filii postea gravi necessitate laborent, semper tenentur parentes illis subvenire. (*Lib. 4. n. 69.*)

§ I. - AMOR.

543. — Tenentur genitores filios suos diligere amore tum interno, eis bene volendo, tum externo, eis benefaciendo et omnē malum ab illis avertendo; isque amor recte ordinatus esse debet.

Hinc PECCANT GRAVITER: 1° Qui liberos suos odio prosequuntur, domo eiciunt, aspiciere dedignantur, grave malum eis ex animo imprecantur; nimis dure illos tractant; in necessitate eis non succurrunt. Non sunt tamen culpandi parentes, qui filiis, ob culpam gravem, correptionis causa et ad tempus, indignationem testantur, domus ingressum prohibent, eos alloqui recusant, exemplo Davidis in Absalonem.

2° Qui ex affectu inordinato, ne filios contristent, omnia illis concedunt aut permittunt, neque a vitiis refrænant, in grave filiorum praeiudicium.

3° Qui, dum uni sine iusta ratione totum affectum impendunt, erga alios indifferentes se habent, aut etiam illos despiciunt; quae quidem unius prae ceteris dilectio fons est discordiarum, iurgiorum et aliorum malorum in familiis, ut apparet exemplo patriarchae Jacob.

Easdem ob causas caveant coniuges, qui cum viduo vel viduae matrimonium inierunt, ne proprios liberos diligant posthabitis natis ex consorte.

§ II. - EDUCATIO CORPORALIS.

Haec postulat providentiam vitae, victus et status.

544. — I. Providentia vitae. Haec nimirum postulat, ut ab ipso conceptu sedulam prolis curam gerant, nec quidquam agant quod eius vitae, sanitati et naturali perfectioni obesse possit.

Hinc peccant per se GRAVITER: 1° Matres praegnantes, quae saltant, nimium laborant, graviora onera levant aut portant, passionibus vehementioribus irae, melancholiae, aut potui alchoolico indulgent, cum periculo abortus vel damni prolis.

2° Patres, qui uxores gravidas aspere tractant, graviter verberant, nimio labore onerant.

3° Parentes, qui non cavent ne noxa parvulis eveniant per aquam, ignem, bestias, periculosa instrumenta, nimium ploratum, etc. Item, qui tenellos infantes secum in lecto retinent, cum periculo suffocationis; quod ne faciant pa-

¹⁾ Cfr. de hac materia litteras encyclicas Pii XI de *christiana iuventutis educatione*. 21 Dec. 1929. *A. A. S.* 1929. p. 723. Notes insuper etiam erga filios naturales vel spurios parentes easdem habere obligationes ac circa legitimos. Cfr. infra n. 820. III. 826. qu. 2 et 4.

rentes monendos esse a parochio tradit Rit. Rom. *tit. 2. cap. 2. n. 32*: huiusmodi tamen cubatio culpa carere potest, si infans est implacabilis, et mater in somno quieta esse solet. (*Lib. 6. n. 160.*)

545. — II. **Providentia victus.** Nomine victus seu alimentorum intelligi debent non solum cibus et potus, verum etiam vestitus, lectus, habitatio et cura tempore morbi; sine his enim vivere non valemus. Haec omnia ipsis praestare debent secundum conditionem status sui.

Ad alimenta pertinet etiam honesta recreatio aetati et statui filiorum conveniens et aequalibus passim concessa, sine qua non possent decore cum sociis versari. Eam igitur parentes eis moderate concedere aequum est.

PECCANT MORTALITER parentes: 1° Qui filiis indigentibus necessaria denegant, etiamsi filius sibi data ad victum dissipasset vel matrimonium contra eorum voluntatem iniisset; officium enim alendi filios est de iure naturae, donec filii sibi ipsis providere possint. (*n. 336. 337. 949. dub. 1.*)

2° Qui comessationibus et potationibus aliisque excessibus bona sua dilapidant, ita ut filii vel mendicare cogantur, vel vilem artem exercere suae conditioni non convenientem.

3° Qui sine iusta causa prolem exponunt in brephotropheo vel loco publico: tum quia sic filios deserere contra naturam est, tum quia proles ius habet ne innocens derelinquatur, neve cum probro suo in tali loco alatur. Iusta autem causa esset vel prolem alendi impotentia ob inopiam, vel periculum infamiae, si proles esset illegitima ex delicto occulto. (*n. 336.*)

De lactatione prolis. **QUAER.** 1° *An teneatur MATER IPSAMET lactare prolem suam.*

Resp. Certum est *per se loquendo* matrem teneri ipsammet lactare prolem suam: natura enim eum ad finem matri lac dedit, et lac quidem infanti omnino accommodatum, ita ut neque cum lacte nutricis neque praesertim cum lacte animalium aliove cibo possit adaequari. Confirmatur auctoritate SS. Patrum ¹⁾ atque experientia, scientia medica atque statistica comprobata.

Dicimus *per se loquendo*; possunt enim dari causae excusantes; tunc autem proles bonae nutrici tradenda est, ut ipsi lac humanum procuretur; nisi et ab hac obligatione legitima detur excusatio iuxta dicenda in qu. 3°.

QUAER. 2° *QUANTA sit obligatio lactandi prolem per se ipsam vel, si id fieri nequeat, ope nutricis.*

Resp. 1° Obligatio lactandi prolem *per se ipsam* non videtur obligatio *per se gravis*, dummodo mater bonam nutricem infanti suo procuret. Tunc enim finis naturae quoad substantiam sufficienter obtinetur atque graviora saltem damna evitantur. ²⁾ Porro, bona ea sola nutrix censenda est, quae bona sit et quoad valetudinem et quoad mores; quum aliter grave periculum oriri possit proli, ne infirma valetudo aut forte etiam inclinatio ad vitium a lactente in infantem transeat. Unde *per se* graviter peccat mater, quae prolem suam nutrici sub respectu physico vel morali defectuosae confidit. (*n. 336.*) ³⁾

¹⁾ Cfr. Bened. XIV. *De Syn. dioec. lib. XI. c. VII. n. 9.*

²⁾ Cfr. H. Muckerman, *Der biologische Wert der mütterlichen Stillpflicht.*

³⁾ Cfr. Bened. XIV. *l. c. n. 9-11; N. K. St. 1904. p. 168.*

2° Obligatio procurandi proli lac *humanum* per se ordinarie saltem est obligatio *gravis*. Sequitur ex eo quod alimenta quae loco lactis humani suppeditari solent, infantibus grave periculum creant, ita ut inter eos infantes, qui aliquo modo arte nutriuntur, mortalitas ea aetate, ubi infantes uberibus ali soleant, *longe maior* sit quam apud eos qui lacte humano aluntur. 1) Dicimus: *per se*, necessitas enim ab hac obligatione excusat; dicimus: *ordinarie saltem*, sunt enim qui putent dari surrogata ita praeparata, ut sufficienter defectui lactis humani suppleant. 2)

QUAER. 3° *Quae sint CAUSAE EXCUSANTES sive a lactatione PER SE IPSAM sive ab OMNI lactatione.*

Resp. 1° Causae excusantes matrem ab officio prolem *per se ipsam* lactandi sunt omnes istae causae quae bono lactationis maternae praeponderant. Causae tales possunt esse morbus vel debilitas matris, iudicio medicorum aestimanda; impotentia physiologica, quae tamen per multiplicatos conatus tolli solet, ita ut pro parte saltem mater nutritioni infantis sufficere possit; nova praegnatio; matris inopia, ita ut labore victum sibi comparare debeat; fama matris servanda; sub hac semper conditione ut proli bona nutrix procuretur. Porro in institutis ubi infantes expositi assumuntur bonae nutrices saepe deficiunt.

Consuetudo apud familias nobiles vicens hodieum vix videtur esse causa ex se sola sufficiens, tum quia haec consuetudo nequaquam ita generaliter viget, tum quia pluribus malis ansam praebet. Unde plures SS. Patres eam improbant, 3) et certe eius extensio verus abusus dicendus est; etenim: 1° ob causas vanas servatur; multae matronae non nobiles eam sequuntur, ut lactationis oneri se subtrahant, et conventus, choreas, theatra, aliaque oblectamenta frequentare valeant; 2° gravia damna producit; nam multoties eligitur nutrix innupta; cupido nutriciorum, eo quod pingua sint, fornicationes multiplicat, nutricesque inducit ad propriam prolem negligendam. atque hoc modo multos infantes interimit. (Capellmann-Bergmann. *l. c.*)

2° Causa excusans ab *omni* lactatione, sive per se ipsam sive per nutricem, est sola necessitas. Quae necessitas si adsit, semper tamen in sumendo lacte animalium aliove cibo eae cautiones, quantum fieri potest, adhibendae sunt, quas hygiena exigit.

Nota. Parochorum et confessoriorum et medicorum est matres opportune instruere et monere de officiis modo descriptis. 4)

546. — III. Providentia status. Debent parentes providere filiis de statu, in quo videlicet honeste secundum conditionem suam aliquando vivere poterunt.

Unde peccant GRAVITER: 1° Si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii habeant hereditatem secundum statum suum, iuxta illud Apostoli II Cor. XII. 14: «Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.»

1) Cfr. Capellmann-Bergmann, *Pastoral-Medecin*¹⁴. p. 53; *N. K. St.* 1904. p. 239; Meuleman, *Het evenrecht van de geboren vrucht; De Katholiek.* 148. p. 62. et p. 181,

2) Capellmann, *l. c.* p. 59. *nota.*

3) Cfr. Salmant. *tr.* 24. n. 35; Bened. XIV. *l. c.*

4) Cfr. *N. K. St.* 1917. p. 376.

2° Qui non curant, ut filii addiscant artem aut scientiam statui suo consentaneam.

3° Qui bona dilapidando impotentes se reddunt ad liberos honeste secundum statum suum educandos ac dotandos. Cfr. dicenda infra n. 887. de non laedenda portione legitima.

4° Qui iniuste recusant patrimonium constituere filiis, qui ad Ordines sacros promoveri cupiunt, aut dotare filias matrimonii vel Religionis ingressus causa. (n. 336. Lib. 6. n. 819.)

NOTA. Graviter etiam peccant parentes qui graviter laedunt filiorum libertatem in statu vitae eligendo, qui nempe eos invitos vel compellunt ad matrimonium, ad Religionem, aut ad sacros Ordines, vel contra eos a tali statu amplectendo impediunt. (n. 335. Cfr. can. 2352; infra tom. II. n. 1077.) Plures tamen parentes, qui filios a statu Religioso avertunt, excusari possunt a mortali peccato, saltem per breve tempus, propter ignorantiam vel inadvertentiam quae facile eis inesse potest ob vehementem amoris affectum erga filios. (H. A. n. 5. Lib 4. n. 77.)

§ III. - EDUCATIO SPIRITUALIS.

547. — Haec omnium sane gravissima parentum obligatio est, ex qua nimirum aeterna filiorum vel beatitudo vel damnatio maxime dependet. Tria ad illam requiruntur quae totidem sunt alimenta animae, nimirum *doctrina, exemplum et correptio*, iuxta illud Eccli. VII. 25: « Filii tibi sunt? Erudi illos, et curva illos a pueritia illorum; » nam, ut legitur in Proverb. XXII. 6; « Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. »

548. — I. *Doctrina*. Tenentur parentes, per seipsos vel per idoneos magistros, liberos instruere imprimis in necessariis ad salutem, nempe in fide et honestate morum.

Curent itaque: 1° ut nati quamprimum sacramento Baptismi fidem suscipiant: deinde ut pueros, usum rationis assecutos, ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae quantocius suscipienda praeparent (can. 854); — ut a pueritia doctrinam christianam, Sacramenta, et conciones frequentent (can. 1335. 1372. 2319); — 3° ut peccati mortalis malitiam ac damna eos doceant; caveant tamen ne falsam conscientiam in eis creent; — 4° ut orationis affectu et devotione erga Deiparam eos imbuant; speciatim, ut filii pietatis exercitia peragant a bonis christianis exerceri solita, puta preces matutinas et vespertinas, ante et post refectioes etc.; — 5° ut mundi illecebras, fallaciam, atque vanitatem eos doceant; — 6° ut ad bonas scholas eos mittant; cfr. supra n. 329. (H. A. n. 5.)

II. *Exemplum*. « Integritas enim praesidentium salus est subditorum, » inquit Trid. sess. 6. cap. 1. ref.

Idcirco graviter delinquant parentes: 1° Qui coram filiis iurant, imprecantur, impudica agunt, turpia loquuntur.

2° Qui graves iniurias et convicia, alter in alterum praecipue, effutiunt; notoriis vitiis, ut ebrietati, luxuriae, sunt addicti.

3° Qui pietatem, Religionem, sacerdotes, aliasve res sacras irrident; praecpta Ecclesiae non observant. (H. A. n. 5.)

III. **Correptio.** Debent parentes peccata et vitia filiorum emendare; attamen, ut prosit correptio, discretam illam esse oportet, ut nec nimia severitate odium aut pusillanimitatem gignat, nec nimia indulgentia contemptui habeatur. Puniant eos, non irae impetu rapti, neque frequenter, sed sedati, et postquam illis rationem dederunt, ob quam correptione et poena digni sunt. Unde monet Prov. XIII. 24: « Qui parcit virgae, odit filium suum; » et Apostolus ad Coloss. III. 21: « Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. »

549. — **Resolutiones. I. GRAVITER** desunt huic officio genitores: 1° Qui de temporalibus tantum solliciti, de vita christiana filiorum prorsus incuriosi sunt; ideoque non satagunt ut filii praecpta Dei et Ecclesiae custodiant, et Sacramenta frequentent.

2° Qui filiorum excessus castigatione et obiurgatione emendare negligunt, aut mitius quam par est corrigunt, uti de Heli in S. Scriptura legitur. Item contra, si propter immoderata verbera notabilem inferant filio laesionem in corpore.

3° Qui occasiones peccandi mortaliter ab eis non auferunt, v. g. si sinant eos suspectas domus frequentare, illicitas procreationes dissimulent, quales praecipue sunt quae *intempestive* aut *clanculo* fiunt; quare parentum officium est adamantium visitationibus in domo sua praesentes adesse. (H. A. n. 5. *Prax. Conf. n. 211.*)

Periculo quoque haud carent, si patiantur ut magistri, musicam in instrumento musico docendi causa, puellas alloquantur *soli* sine ulla praesentia fidorum domesticorum, quando ipsimet adesse praelectioni nequeunt.

4° Qui non cavent ne filii cum pravis sociis conversentur, aut nocuis lectionibus corrumpantur. Pariter, si eos, artis addiscendae vel famulandi causa, in eiusmodi familiis collocent, in urbibus praesertim, ubi eorum fides vel boni mores periclitantur.

Ut porro parentes hoc correptionis officio rite fungantur, iugis ac solers vigilantia in filios necessaria est.

II. Parentes operarii, qui ob iugem laborem filiorum educationem spiritualem negligere coguntur, si aliud medium non suppetat, tenentur quamprimum aliam vitae subveniendi rationem quaerere; parentes enim ex iure naturali obligantur ad rectam filiorum institutionem procurandam in iis, quae necessaria sunt ut filii boni Christiani evadant aeternamque salutem consequantur, quae res omnium gravissima est.

III. Oportet denique quaedam particularia adnotare circa *cubationem* filiorum, utpote quae moribus eorum momentosa res est. Ut parentes a filiis suis periculum corruptionis avertant, caveant: a) ne sine *urgenti* necessitate pueros et puellas iam sexennes in eodem lecto condormire sinant. (H. A. n. 5. *Prax. Conf. n. 211.*) Si ob paupertatem lecto ac tegumentis careant, debent admonere parochum, vel sodalem Conferentiae S. Vincentii a Paulo, vel divitem aliquem beneficium, ut gravi huic necessitati provideatur. —

b) Ne sine necessitate secum in lecto admittant pueros, qui sextum annum iam excoerunt. (H. A. n. 5. *Prax. Conf. n. 211.*) Quod si paupertas ad id cogat, caveant saltem, ne pueri quidquam deprehendant quod ignorare debent; in lecto porro pueros ad latus patris et puellas ad latus matris retineant. De cetero agant ut supra dictum est. — c) Ne filii aut filiae similiter in eodem ac parentes cubiculo dormiant; imo neque in cubiculo vicino, si inde videre vel audire possunt, quid parentes agant aut dicant; pueri enim admodum curiosi sunt. — d) Ne facile fidant famulis suis, ita ut sinant filium cum famulo, aut filiam cum famula in eodem lecto condormire. — Quot liberi hac in re scandalum acceperunt a parentibus suis, et quot adolescentes corrupti sunt a pravo lecti socio!

550. — *Quaestiones. QUAR. 1º Quae sint mutuae obligationes tutorum et pupillorum.*

Resp. Eaedem, servata proportione, ac parentum et filiorum; quia tutores ex officio succedunt parentibus. Cfr. can. 1372. § 2. (n. 341.)

QUAER. 2º Quae sint officia mutua aliorum cognatorum ascendentium et descendentium.

Resp. Filii tenentur, servata proportione graduum, ascendentibus exhibere amorem et reverentiam, et, si parentum locum teneant, etiam obedientiam. Ascendentes tenentur nepotibus exhibere amorem, et, si parentum vices gerunt, paternam curam.

QUAER. 3º Ad quid obligentur fratres et sorores inter se.

Resp. Debent se fraterno amore prosequi, et in necessitate non tantum extrema, sed gravi quoque, alter alteri succurrere, ut secundum conditionem status sui honeste vivere possint. (n. 340.)

QUAER. 4º An officia, quae sibi mutuo debent consanguinei, pertineant ad virtutem pietatis.

Resp. Affirm., nam « in cultu parentum includitur cultus omnium consanguineorum; quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur quod ex eisdem parentibus processerunt, » i. e. quia in ipsis parentum sanguis existit. (S. Thom. 2. 2. qu. 101. a. 1.)

CAPUT II.

OBLIGATIONES CONIUGUM INTER SE

551. — I. *Obligationes utriusque coniugis.* Obligationes utriusque communes sunt: 1º *Amor:* unio quippe animorum est summa boni matrimonii, sine qua nec reliquis vitae coniugalis officiis satisfacere, nec onera eiusdem sufferre valent. Inde ad Ephes. v. 25: « Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam; » de uxoribus autem ad Tit. II. 4: « Viros suos ament. » Secundum Deum igitur neminem magis quam consortem diligant vel pluris faciant.

2º *Cohabitatio,* i. e. obligatio in eadem domo habitandi, eidem mensae accumbendi et in eodem toro cubandi. Hanc enim exigunt fines matrimonii,

et praecipit divinus eius Auctor: «Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.» (Genes. II. 24; Matth. XIX, 5.) Cfr. et can. 1128.

3° *Fides coniugalis*, quae adstringit illos a) ad sibi mutuo reddendum debitum, cum serio petitur nec est causa iusta negandi; de quo copiose in tractatu de matrimonio agetur; b) ad nullum adulterium committendum.

4° *Sustentatio* honesta secundum statum suum. Hoc officium quidem primario incumbit marito, iuxta illud Apostoli ad Ephes. v. 28. 29: «Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit et fovet eam;» secundario tamen etiam uxoris officium fit, si nimirum maritus indigeat. (*Lib. 6. n. 939.*)

552. — II. *Obligationes viri*. Viro specialiter incumbit: 1° *Studiosa rei familiaris administratio*, quoad bona temporalia, tum communia, tum uxoris propria secundum legem patriam. Cfr. infra n. 658.

2° *Recta gubernatio* uxoris et totius familiae, in iis quae ad salutem animae, bonos mores et disciplinam domesticam spectant. Debet ergo uxorem honorifice tractare, memor conditionis eius, qua socia, non ancilla est; eam in vitae christianae officio continere; delinquentem, si opus est, corrigere.

III. *Obligationes uxoris*. Uxori specialiter incumbit: 1° *Reverentia* erga maritum, ut dicit Apostolus ad Ephes. v. 33: «Uxor timeat virum suum.»

2° *Obedientia* in omnibus, quae ad domus gubernationem spectant, iuxta epist. ad Ephes. v. 22. 23: «Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.» Ideo omnibus in rebus, quae christianae pietati non adversantur, viro morem gerere oportet.

3° *Diligens cura domus*, et proinde officia domestica obire, ut cibos parare, domum verrere, lintea lavare, vestes resarcire et alia huiusmodi. Si tamen spectatae conditionis est, nequaquam tenetur talia opera, quae ipsam dedecent, praestare, sed potest ea per ancillas adimplere, dummodo provideat ut rite impleantur; quapropter domi libenter se contineat, nec sine viri permissu exeat. (*n. 351. 352. Catech. Rom. part. 2. cap. 8. qu. 22 et 23.*)

553. — *Resolutiones*. Graviter peccant: 1° *Coniuges*, qui odio, contumeliis maledictionibus, rixis se lacessunt. Item, qui sine *sufficienti* indicio suspicantur infidelitatem in comparte, et zelotypiae se dedunt, quae passio infinitorum malorum origo est.

2° *Maritus*, qui uxorem acerbius tractat, eam graviter caedendo. Potest tamen moderate ipsam castigare, etiam, si gravis causa adsit, moderatis verbis, habita tamen ratione conditionis et status uxoris.

3° *Maritus*, qui uxorem impedit, quominus satisfaciat Dei et Ecclesiae praeceptis. Si vero sine causa ea tantum bona opera impediret, quae ex devotione fiunt, ut frequentationem Sacramentorum, et similia, peccaret solum venialiter;

sed aliquando peccare posset mortaliter, scilicet cum sibi constaret uxorem magnam utilitatem ex istis depromere.

4° Maritus, qui domus gubernationem et rem familiarem negligit; si cum uxore non cohabitatur, vel sine causa diu abest: si ipsam non sustentat, nisi uxor sine causa ab illo discesserit, aut adulteraverit. (n. 356.)

5° Uxor, si viro non obedit in eo quod iustum est, praesertim in reddendo debito coniugali; si de bonis communibus quid notabile expendit contra voluntatem viri, et contra consuetudinem feminarum sui status; si spreto viro domesticam gubernationem sibi assumit, nisi maritus bona familiae dilapidaret, aut socors esset, aut familiae gubernandae minus aptus. (n. 351.)

554. — Notanda. Uterius hic monendum: 1° Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius; si monitio profutura videatur, moneat cum maritus est bene affectus; si irato respondendum sit, respondeat suaviter, iuxta Prov. xv. 1: « Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitatur furorem. » Si haec non iuvent, a paroco aut alio viro prudenti curet maritum admoneri.

2° Confessarius non statim credat coniugi de comparte sua conquerenti, uxori, praesertim, si in maritum invehatur, quia mulieres non raro inconsultae sunt. Quare praestat, neutrius partes tuendo, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et speciatim uxori maiorem sollicitudinem ad obsequia viro exhibenda. (Croix. lib. 6. n. 1813; Gury. n. 381.)

3° De obligationibus mulieris in vita sociali et politica cfr. Alloc. Pii XII. 21 Oct. 1945. A. A. S. 1945. p. 284.

CAPUT III.

OBLIGATIONES DOMINORUM ET FAMULORUM

555. — I. Obligationes dominorum. Domini tenentur famulos suos: 1° *Benigne tractare*, humaniter eos alloquendo, convenientia alimenta praebendo, nimio labore non gravando, infirmos ut par est curando. Sic monet Eccli. xxxiii. 31: « Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta. »

2° *Instruere et corripere*, invigilando ut fidei saltem rudimenta calleant, Dei et Ecclesiae praecepta observent, et a vitiis absterneant; deinde delinquentes recte corripiendo; quia, ut ait Apostolus I Tim. v. 8: « Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infidelis deterior. »

3° *Iustam mercedem solvere*, cum famuli fideliter servierunt; est enim debitum strictum ex contractu. Cfr. infra n. 559. qu. 4°.

556. — Graviter ergo peccant domini: 1° Si causa sunt cur famuli Dei ac Ecclesiae praeceptis non satisfaciant; si eos non admonent, cum Missam diebus festis non audiunt, aut Sacramenta suis temporibus non suscipiunt.

2° Si eos non corripiunt cum blasphemant, turpia loquuntur, aut scandalum praebent; si inemendabiles non dimittunt, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire nequeant.

3° Si peccandi occasionem eis permittunt, dum impedire possunt: aut, quod peius foret, ipsi grave scandalum eis praebent. Hinc regulariter non permittant ut famulus et famula domus suae mutuo procentur, sed debent procurare, ut procantes a procatione desistant, vel alterutrum quamprimum dimittere. Provideant, quoad fieri potest, ne famuli condormiant in eodem lecto. Prospiciant quoque, ut famuli et famulae rite separati sint quoad cubilia; secus enim facile nascetur occasio peccatorum.

4° Si pactam mercedem vel consuetam non solvunt, illam minuunt aut nimis differunt, si eos ante tempus conventum sine iusta causa dimittunt; tunc namque domini tenentur compensare damnum, si quod famuli patiantur. Item, si laborem extraordinarium exigunt sine compensatione; id enim contra iustitiam est. Ofr. Jac. v. 4. (n. 342.)

5° Si famulos aegrotantes negligunt, aut statim expellunt. (n. 362.)

Notandum superest, dominos, spectato solo iure *naturali*, non teneri *ex iustitia* ad expensas curationis, neque ad mercedem pro tempore infirmitatis; nisi famulus culpa heri sui in morbum inciderit, vel nisi alicubi consuetudo sit, quod dominus ad totum stipendium tenetur, si famulus ad annum conductus per breve tempus aegrotet; contractus namque ineuntur sub tacita conditione servandi consuetudines. Sin autem notabiles essent impensae medici, aut famulus diu aegrotaret et incapax esset ad opus suum praestandum, dominus ne ex *caritate* quidem teneretur. Attamen, si famulus in gravi vel extrema necessitate versatur, dominus ei subvenire tenetur iuxta dicta in tractatu de caritate. (n. 362.) Quae vero accedere possint obligationes ex iure *positivo*, lector ex iure patrio discat. (n. 342. sub III. n. 864.)

557. — II. Obligationes famulorum. Famuli tenentur dominis exhibere: 1° *Reverentiam*: sic enim Apostolus I Tim. VI. 1: « Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur. »

2° *Obedientiam* in iis quae ad famulatum et gubernationem domus spectant. Unde Apostolus ad Ephes. VI. 5: « Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; » et I Petri II. 18: « Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. »

3° *Fidele obsequium* in omnibus ad quae ex contractu obligantur, ut ait Apostolus ad Tit. II. 9. 10: « Servos dominis suis subditos esse..., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. »

558. — Hinc peccant pro ratione materiae: 1° Qui dominos irrident, insolenter eis respondent; de familia detrahunt.

2° Qui operas praeceptas omittunt, aut pro seipsis laborant cum damno domini sui, aut tempus otio terunt.

3° Qui grave damnum dominis inferunt, vel inferri permittunt, cum impedire possent et deberent.

4° Qui sine iusta causa ante statutum tempus discedunt. (n. 343.)

5° Contra fidelitatem et iustitiam peccant famuli, qui emptiones dominis suis faciendo emunt pretio summo, dum facile possunt pretio medio emere;

quia ex officio et tacito contractu tenentur dominorum suorum negotia fideliter gerere, atque ideo communem diligentiam adhibere ad bene emendum. Confer dicenda in tract. de Iustitia.

559. — Quaestiones de obligationibus famulorum. QUAER. 1^o *An famuli non impediunt furta rerum domini teneantur ad restitutionem.*

Resp. Communius et probabilius distinguitur. *Affirm.*, si res, quae subripiuntur, ipsis *specialiter* creditae fuerunt, aut furtum committitur ab *extraneis*: quia in priori casu ex mandato eas tueri tenentur; in posteriori casu ipso famulatu unicuique famulo demandata est rerum domini tutela contra extraneos.

Negat. vero, si damnum fit a *domesticis*, in rebus *non specialiter* eorum curae commissis; tunc enim non impediendo peccant contra caritatem, non vero contra iustitiam; quia non obligantur ex iustitia res domini a domesticis tueri. (n. 344.)

QUAER. 2^o *An famulus locans operas suas ad annum, si ante annum culpa sua discedat, possit stipendium petere pro tempore, quo inservivit.*

Resp. Affirm., nisi grave damnum domino ex discessu eveniret; quia opera exhibita meretur utique mercedem suam. Attamen non tenetur dominus *totum* stipendium tempori respondens solvere, sed paulo minus, arbitrio prudentis; quia dominus aliquam semper patitur iniustitiam. (n. 345.)¹⁾ Haec de iure naturali; ceterum attende quoque, quid leges locorum statuunt; quae nimirum, nisi iniustae probentur, servari possunt; casu tamen excepto, quo famulus propter necessitatem spiritualem discedit.

QUAER. 3^o *An famuli, qui sine pacto mercede inserviunt, possint deinde iustum stipendium, saltem infimum, petere vel occulte subripere.*

Resp. Dist. Affirm., si huiusmodi famulorum operae pretio conducuntur. *Negat.*, si conducuntur non solent; quemadmodum accidit respectu tironum in artibus addiscendis, quibus nihil solvi solet, aut respectu miserabilium personarum, quae ex pura misericordia assumuntur et sola alimenta recipiunt. Videndum igitur est, quid ex usu in qualibet arte addiscenda observetur. (n. 348.) Excipe tamen casum, quo labor extraordinarius ab eis exigitur; hic enim compensari debet.

De obligationibus patroni erga operarios. QUAER. 4^o *Quaenam sint obligationes patronorum erga OPERARIOS suos, in fabricis praecipue.*

Resp. Non tenentur quidem eam curam illorum habere, ad quam adstringuntur erga famulos suos; quia non sunt de domo ac familia sicut famuli.

Tenentur vero: 1^o officia caritatis proximi erga operarios suos continuos magis implere, quam erga alios homines; operarii enim pro heris suis laborant et quasi vivunt. Hac ratione obligari possunt ad correptionem eorum, ad instructionem christianam ipsis procurandam. — 2^o Ex eodem officio debent tempus et occasionem ipsis concedere ut praecepta vitae christianae rite adimpleant, atque praecipuis salutis mediis interdum frui valeant. Quamobrem laborem non necessarium ipsis in diebus festis imponere nefas est. — 3^o Dum operarii versantur in officinis aut domibus herorum, heri ex iustitia curare debent, ut peccatorum occasiones removeantur, mala exempla tollantur, turpiloquia etc. arceantur.²⁾

¹⁾ Cum S. Alf. dicit dominum teneri saltem paulo minus quam *dimidium* stipendium solvere, supponit famulum qui per dimidium tempus pactum servavit.

²⁾ Cfr. Pius X *Motu proprio*. 18 Dec. 1903. *A. S. S.* xxvi. p. 339.

Quodsi operarii aliqui gravi scandalo essent aliis sociis, tenentur illos dimittere, nisi gravi damno excusentur. — 4° Ex iustitia tenentur *iustam mercedem* illis solvere. Merces autem ut iusta sit per se operario valido et morigero saltem tanta esse debet, ut ad *illius eiusque familiae* sustentationem par sit, qua se. communibus domesticis necessitatibus convenienter subveniatur. 1) Praedicta norma communem statuit et infimum mercedis limitem; ulterius enim iustitia postulat ut merces, quatenus laboris natura id meretur, pro qualitate et quantitate laboris augeatur; et magnopere ad bonum commune confert operarios, mercedis aliqua parte quae necessariis sumptibus supersit seposita, paulatim ad modicum censum pervenire. 2) — Quodsi praedicta merces familiaris pro vitae oeconomicae adiunctis praestari non poterit, postulat iustitia socialis, ut eae mutationes quamprimum inducantur, quibus cuivis adulto operario eiusmodi salaria firmentur. 3) In distribuenda mercede sapiens omnino et apta initur via, si merces laboris ita oneribus familiae accommodetur, ut his auctis amplior illa numeretur: imo, si id obtingat, extraordinariis necessitatibus fiat satis. 4) — 5° Debent agnoscere ius operariorum ad constituendas associationes syndicales, iuxta normas a S. Sede datas. 5)

CAPUT IV.

OBLIGATIONES MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM

560. — I. *Obligationes magistrorum.* Praeceptores *infimae ac mediae disciplinae* tenentur, non modo discipulos suos litteris instruere, sed et educationem christianam illorum, quoad possunt, procurare; ideo illis debent convenientem instructionem, bonum exemplum et debitam correptionem. Ratio est, quia parentum vices gerunt, eumque ad finem stipendium accipiunt.

Hinc graviter desunt officio suo: 1° Si instructionem negligunt, bonos mores non docent, aut etiam falsa et scandalosa ex proposito tradunt. — 2° Si peccata discipulorum dissimulant nec corrigunt, quando possunt, aut eos iniuste vel indiserete puniunt. — 3° Si discipulis malo sunt exemplo; sed praesertim si eosdem seducunt, inducendo ad peccata v. g. carnalia. — 4° Si alumnos malis moribus imbutos, et qui aliis perniciosi sunt, in scholas admittunt, vel ex iis non dimittunt, cum possunt. (n. 362.)

Magistri *superiorum facultatum* officio suo satisfaciunt, si sanam doctrinam alumnis suis rite exponunt, ac, quamdiu in schola versantur, quidquid

1) Enc. *Quadragesimo anno*. 15 Maii 1931. A. A. S. 1931. p. 200; cfr. etiam enc. *Rerum novarum*. 17 Maii 1891 et enc. *Casti connubii*. A. A. S. 1930. p. 587; *Divini Redemptoris*. 19 Martii 1937. A. A. S. p. 80 et 91 et 118 et 126.

2) Enc. *Quadragesimo anno*. A. A. S. l. c. p. 201 et p. 198; cfr. etiam enc. *Rerum novarum*.

3) Enc. *Quadragesimo anno*. A. A. S. l. c. p. 200; cfr. et enc. *Casti connubii*. A. A. S. 1930, p. 586-587.

4) Enc. *Quadragesimo anno*. A. A. S. l. c. p. 200.

5) Cfr. S. O. Conc. 5 Iunii 1929. A. A. S. p. 494.

pravum est pro viribus impediunt. Ex caritate debent insuper alumnorum bonum spirituale procurare monitis, exemplo, etc. (Villada. *Cas. consc. tom. 2. sect. 2. n. 5.*)

II. **Obligationes discipulorum.** Discipuli tenentur magistris reverentiam, amorem et obedientiam exhibere in iis quae litteras et bonos mores spectant.

Unde peccant discipuli: 1° Si magistros irrident, conviciis, maledictis, calumniis, aliisve molestiis afficiunt. — 2° Si negligenter student, scholarum aut studiorum tempore lusui vacant vel otio. — 3° Si non obediunt in rebus ad studia et bonos mores pertinentibus. (n. 361)

In praxi ignorantia et iuvenilis levitas a gravi saltem peccato plerumque excusant.

CAPUT V.

OBLIGATIONES SUPERIORUM CIVILIUM ET SUBDITORUM

561. — I. **Obligationes auctoritatis civilis.** Auctoritatis civilis officia sunt: singulorum civium iura tueri, et bonum commune promovere.

Quapropter Princeps, seu ii qui summam auctoritatem gerunt, omnesque Magistratus, debent subditis suis: 1° *Administrationem iustitiae*, tum commutativae, tum distributivae ac vindicativae, necnon *publicae securitatis tuitionem*.

Unde tenentur Officiis publicis idoneos et probos viros praeficere; iustas leges ferre; populum tributis et oneribus ultra modum non gravare; expropriationem non imponere, pauperibus praesertim, si nulla cogat necessitas; reditus fisci seu aerarii publici non prodigere; pauperum necessitatibus subvenire; pro parte sua sapienti legislatione concurrere ad solutionem *quaestionis socialis*;¹⁾ politiam solerter exercere ad crimina praevenienda; delicta patrata congrue punire.

2° *Religionis et bonorum morum tutelam*: nam Religio (*veram dico*) est summum populi bonum, ad quod cetera omnia referenda sunt, et sine Religione nullus in societate ordo moralis subsistere potest.

Quapropter debent populo praebere bonum exemplum tam in exercitio Religionis, quam in morum honestate; Ecclesiae ministros revereri, eisque adiumento esse, ut, quantum in ipsis est, ea omnia arceantur, quae fidei bonisque moribus damnum inferunt, ea vero, quae Religionis cultum divinarumque legum observantiam promovent, foveantur. Ita Trid. *sess. 25. cap. 20 ref.* Cfr. etiam *Enc. Casti Connubii*.²⁾

¹⁾ Cfr. enc. *Rerum novarum. Quadragesimo anno et Casti Connubii. l. c., p. 588*, de obligatione supplendi impares privatorum vires ad procurandam coniugibus et familiis conditionem hominibus dignam.

²⁾ *A. A. S. a. 1930. p. 589.*

Inde consequitur, *ex se* malam esse publicam libertatem pravaram opinionum, libertatem perniciosa quaeque ac blasphema scripta vulgandi, libertatem occultarum societatum, separationem Ecclesiae et Status civilis, iuventutis institutionem sine Religione, et huius generis alia. Constat ex Encyclica Gregorii XVI *Mirari vos*. 15 Aug. 1832; ex Constit. Pii IX *Quanta cura*. 8 Dec. 1864, cum Syllabo errorum, prop. 48. 79; ex Constit. Leonis XIII *Libertas*. 20 Iunii 1888. — Nihilominus *per accidens* ad maius malum vitandum, eiusmodi libertas expeti et concedi potest, dummodo tamen ne ultra necessitatem concedatur.

562. — II. **Obligationes civium.** Cives debent Superioribus civilibus: 1^o *Reverentiam*, ut monet I Petri II. 17: « Deum time, Regem honorificate. »

2^o *Obedientiam omnibus praeceptis honestis et iustis in rebus ad ordinem civilem pertinentibus*; quemadmodum docet Apostolus ad Rom. XIII. 1. 2: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. » — Si Superiores civiles *iniusta* praecipiant, non tenentur subditi eis obedire, nisi forte *per accidens* propter vitandum scandalum vel periculum. (S. Thom. 2. 2. *qu.* 104. *a.* 6. *ad* 3.)

3^o *Iusta obsequia et tributa*, utpote sine quibus regere non valerent; patet ex cap. cit. ad Rom. 7: « Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectical, vectigal. » Cfr. infra n. 827.

563. — **De resistentia contra tyrannum.** 1) Quaeritur, an liceat resistere *tyranno*. — Qua in re distinguendum est inter tyrannum *tituli* seu usurpatorem qui quocumque modo illicito assecutus est principatum, et tyrannum *regiminis* qui iusto quidem titulo potestatem possidet, sed per leges aperte iniustas populum gubernat.

I. **QUOAD TYRANNUM TITULI.** Distinguendum est inter ipsum actum invasionis et statum pacificae possessionis regiminis.

1^o *In ipso actu invasionis* tum *principi* tum *populo* competit ius defensionis; imo populus ad repulsum et occisionem usurpatoris teneri potest ex obedientia principi debita et ob bonum commune, servato tamen modamine inculpatae tutelae; tandem idipsum licet *subdito* cuilibet, **ex** expressa vel tacita principis auctoritate.

2^o *Post pacificam possessionem semel obtentam*, seu consummata usurpatione, haec valent: a) licitum est tyrannum nomine legitimae auctoritatis legitimis modis eiicere, ideoque bellum contra eum movere, nisi inde gravius malum immineat; b) de cetero autem tyranno obediendum est, quantum bonum commune postulat; 2) c) tyrannus tituli fieri potest legitimus princeps, quo facto iam nullo modo eum oppugnare licet.

1) Cfr. plura apud Marcellum a Puero Jesu. O. C. D. *Philos. Moralis et Socialis. Pars II. Disp. III. qu. 2. a. 7. § 2. p. 790. sequ.*

2) Disputant, utrum etiam vi auctoritatis de facto possessae, an solo titulo boni communis vel rationabilis tacitae ipsius reipublicae tyranno obediendum sit. Cfr. Marcellum *l. c. n. 4.*

Tyrannus tituli fieri potest legitimus princeps aut iusta legitimi principis abdicatione, aut populi consensu tacito vel expresso transferendi iura potestatis in usurpatorem post legitimi principis eiusque heredum mortem, aut publica salute reipublicae, si haec necessariam reddit permanentiam usurpatoris. Disputatur, utrum diuturna regni possessio ius ad auctoritatem conferat. Negandum videtur, praesertim in primo usurpatore, et dum deficit bona fides, et legitimus princeps adhuc reclamat; nisi ipsa diuturna possessio adducat necessitatem permanentiae regiminis usurpatoris ob publicum bonum. ¹⁾

II. QUOAD TYRANNUM REGIMINIS. Distinguendum est inter resistantiam *passivam*, quae practice consistit in detrectatione obedientiae legibus iniustis; et *activam*, qua positive, mediis etiam violentis, eis resistitur.

1° Resistentia *passiva* per se licita est, imo aliquando etiam obligatoria esse potest. Dicimus *per se* licita est; aliquando enim ad maius malum vitandum obediendum erit, nisi id quod postulatur intrinsece malum sit. Obligatoria autem est resistentia, quoties res praescripta est intrinsece mala vel in damnum commune vergat.

2° De resistentia *activa* haec accipe: a) *in ipso actu aggressionis* resistentia activa, etiam violenta, omnibus etiam privatis, per se licita, imo obligatoria fieri potest, eo modo quo diximus de resistentia passiva; idque etiamsi hac resistentia tyrannus aut pereat aut libertate privetur aut a regimine cedere cogatur. Ratio est quia vim vi repellere per se loquendo semper licitum est, et si altius bonum id postulat, etiam obligatorium fieri potest. — Diximus *per se* licita est; per accidens vero saepius illicita erit ob maius malum commune quod ex tali modo agendi sequi solet.

b) *extra actum aggressionis*, non licet contra tyrannum regiminis rebel-
lare seu directe vi eum expellere, *quamdiu legitimus princeps manet*. Sequitur ex eo quod populus non est Principis sui Superior et quod secus maior adhuc perturbatio sequeretur; et confirmatur documentis pontificiis.

Ita Gregorius XVI in Encyclica *Mirari vos*. 15 Aug. 1832 haec habet: « Et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare conantur. » Pius IX in Syllabo errorum hanc damnavit propositionem 63: « Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. » Et in Alloc. *Luctuosum*. 29 Oct. 1866 sic loquitur: « Nos quidem nunc denuo, ut alias, rebellionem summopere damnamus et reprobamus, omnesque fideles, ac praesertim ecclesiasticos viros, monemus et exhortamur ut impia rebellionis principia ex animo abhorreant, detestentur ac sublimioribus potestatibus subditi sint, illisque fideliter obediant in iis omnibus, quae Dei eiusque Sanctae Ecclesiae legibus minime adversantur. » Cfr. etiam S. Alf. H. A. *tr.* 8. n. 13.

Huc quoque spectant praeclara Leonis XIII verba in Encycl. *Quod Apostolici muneris*. 28 Dec. 1878: « Si tamen quandoque contingat temere et ultra modum publicam a Principibus potestatem exerceri, Catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere proprio Marte non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. » E contra, quia Providentia Dei saepe utitur saevitia Principum ad puniendum populum, qui communibus ac publicis sceleribus, praesertim Religionis

¹⁾ Cfr. Marcellum *l. c.*

contemptu, iram Dei iustissimam in se concitaverit, optimum ergo tunc ac tutissimum remedium erit poenitentia, oratio, morum mutatio, et Religionis cultus. « Cum res eo devenerit, ita pergit Leo XIII *loc. cit.*, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet (Catholica Ecclesia) christianae patientiae meritis et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum. »

Dicimus autem: *quamdiu legitimus princeps manet*: si enim legitimitatem amiserit, v. g. ex eo quod populus in rege constituendo ius depositionis sibi reservaverit atque hoc iure legitime usus fuerit, *per se* licet eum expellere; per accidens vero, sicut resistentia passiva, ita etiam et multo magis activa sive ad vim vi repellendam sive ad principem iam illegitimum expellendum ordinarie illicita erit, ob maius malum commune, quod ex tali modo agendi sequi solet.

Si princeps non determinetur reipublicae electione nec auctoritate Superioris, et abusus potestatis sit evidens et excessivus, sunt qui pro non improbabili habeant, populum habere ius deponendi tyrannum, etiamsi populus sibi tale ius expresse non reservaverit; idque aut vi superioritatis, quasi populus tacite ea tantum conditione cesserit potestatem, ut politice, non tyrannice regeretur, aut saltem ratione boni communis, in cuius gratiam lex naturalis talem potestatem daret in huiusmodi adiunctis. ¹⁾ Semper tamen requiritur ne sit alia via ad malum tollendum neve maius malum inde sequatur. ²⁾

Huc faciunt verba Pii XI ad Episcopatum Mexicanum, quando attento iure Ecclesiae ad iustam agendi libertatem et iure fidelium ad vivendum in societate civili ad rationis conscientiaeque praescripta, concludit: « Consequens ergo est ut, quum nativae libertates ordinis religiosi civilisque impugnentur, cives catholici id perferre patique non possint. Attamen horum quoque iurium libertatumque vindicatio, pro diversis rerum adiunctis, *magis vel minus opportuna, magis vel minus vehemens esse potest*. Vos autem ipsi, Ven. Fratres, pluries fideles vestros docuistis, Ecclesiam, etiam cum gravi suo incommodo, pacis atque ordinis faultricem esse, omnemque iniustam rebellionem vel violentiam contra constitutas potestates condemnare. Ceterum, apud vos affirmatum quoque est, si quando potestates ipsae iustitiam ac veritatem manifeste impugnent, ita *ut vel fundamenta auctoritatis evertant*, non videri cur improbari debeant cives illi, qui in *unum coalescant ad tuendos semetipsos nationemque servandam*, licita atque idonea auxilia adhibentes contra eos qui imperio abutantur ad rem publicam labefactandam. » Dein varia principia in lumine collocantur, inter quae etiam illud, media huiusmodi eatenus esse adhibenda « quatenus ad propositum finem ex integro vel ex parte conducant, ita tamen *ut maiora damna communitati et iustitiae non afferant, quam ipsa damna resarcienda*. » ³⁾

564. — De electione et officiis Deputatorum. Quum nostra aetate ubique fere ex Regnorum constitutione pars regiminis populo committatur, illi etiam incumbit, maxime Deputatorum electione, ad bonum publicum conferre. Quare necesse est Electorum et Deputatorum officia paucis hic subiungere.

I. Officia Electorum. 1^o Tenentur ad bonorum Deputatorum electionem concurrere, si prudens spes est fore ut hoc pacto iniquae leges, bono

¹⁾ Cfr. Marcellum *l. c.* n. 9. V. p. 789.

²⁾ Cfr. Gredt. *Ele.m. Phil.* n. 1035. Cfr. etiam 2. 2. qu. 42. a. 2. ad 3. De tyrannicidio, cfr. infra n. 570.

³⁾ Ep. encyclica *Firmissimam constantiam* 28 Martii 1937. A. A. S. p. 196-197.

communi adversae, impediuntur aut aboleantur, leges vero bonae atque utiles promoveantur. Excipe tamen, sicubi ipsa electio sumi possit pro usurpato regiminis agnitione.

2° Gravis est ea obligatio iis, qui iuste timere debent, ne, si abstineant ab electione, causa sint cur sufficiens numerus honorum Deputatorum desit, atque ita pravae leges in grave damnum publicum ferantur vel sustineantur. Ratio est ipsa necessitas boni communis, Religionis praecipue, quod omnes, qui facultatem habent, in casu necessitatis tueri debent. (*Lib. 2. n. 27. v. Secus vero.*)¹⁾

3° *Per se* numquam licet eligere candidatum, qui prava principia sectatur. *Per accidens* vero aliquando licet; nimirum si optio datur dumtaxat inter duos, quorum neuter sana principia fovet, tunc licebit minus malum eligere, dummodo tamen a) suffragium ad huius electionem necessarium videatur, ut peior candidatus excludatur, et b) aliquo modo patefiat, suffragium ad eam electionem ex illo solo fine praestari. (Lehmkuhl. *Theol. mor.* 1. n. 955 et 956; Scavini. I. n. 676; Del Vecchio. I. n. 332; Marc. n. 2287.)

II. **Officia Deputatorum.** 1° Debent studia conferre, non modo in materias politicas, verum etiam in complures materias ad religionem et mores spectantes, quae in Comitibus legislativis usuvenire possunt. Debent quoque de eiusmodi materiis consilium petere a viris doctis et Superioribus ecclesiasticis.

2° Intrepide, sed et prudenter, propugnare iustitiam, religionem ac iura Ecclesiae.

3° Unionem servare cum ceteris Deputatis catholicis, usque adeo ut, quoties dissensio obesse potest causae catholicae, suam quisque opinionem bono unionis postponat.

4° Numquam possunt legi pravae consensum seu suffragium dare, ut patet. Si quando lex quaequam minus recta accipienda esse videatur ad peiora mala evitanda, licebit hoc animo illi consentire, dummodo palam protestentur se non nisi eo fine consensum praebere. Dixi: *lex minus recta*, ut excludatur lex intrinsece et prorsus mala.

Ex dictis consequitur, quod, si Deputatus aliquis Electoribus suis, qui pravis principiis ipsi imbuti sunt, quidquam illicitum promiserit, his promissis stare non potest.

5° Praesentia sua et suffragio impedire debent ne qua prava lex acceptetur. Quodsi culpabili absentia causa sunt cur eiusmodi lex acceptata sit, graviter peccant contra iustitiam; negative enim cooperati sunt ad damnum commune patriae, cui ex officio obstare debuissent.

6° Tenentur pro viribus positive promovere bonum commune, praesertim eo sensu, quo Electoribus suis fidem dederunt; eo pacto enim electi sunt.

¹⁾ Cfr. allocut. Pii XII ad quadragesimalistas Roman. 10 Martii 1948. *A. L. S.* 1948. p. 119.

De Deputatorum cooperatione ad malum, cfr. tr. de Iust. n. 779. (Lehmkuhl. n. 957; Scavini. loc. cit.; Del Vecchio. loc. cit.; Marc. n. 2286.)

QUAERITUR, an *populus et Deputati edoceri debeant de his suis officiis.*

Resp. Affirm., omnino, etiam e suggestu; agitur enim de re summi momenti ad bonum totius Reipublicae tum civilis, tum christianae. Propterea, etiamsi daretur ignorantia invincibilis, monitio nihilominus omittenda non est. Tum solum omitti deberet, cum ex ea vel *nullus* fructus speraretur, vel, multo magis, maius malum timeretur (*Lib. 6. n. 615. H. A. tr. 16. n. 116.*)